

CLXXXV.

1519. die 12. Decembris.

Regnum Croatiae et Dalmatiae Regi Hungariae, qui cum Turcis foedus nulla de iis facta mentione pepigerat, amplius obedire nolens, tutelam et protectionem Pontificis Romani expetit.

Anno 1519 die 12. Decembris lectae sunt litterae Bani Dalmatiae & Croatiae credentiales in persona Domini Thomae Nigri*), qui introductus est in sacrum Consistorium nomine ipsius Bani, Comitum et Nobilium ipsorum Regnorum. Dixit, ipsa Regna parata se dedere Turcae, et quod miserunt ad Regem Ungarie oratores suos, ipsi protestaturos, quod nollebant amplius obedire; quia cum Turca foedus fecerat, nulla de iis facta mentione. Dimisso predicto Vicario, Sanctissimus dixit, se velle super hoc Regi Ungariae scribere, ut provideat ipse et Regna Dalmatiae & Croatiae in tutelam et defensionem recipiat; vel saltem permittat, ut sub alicuius Regis Christiani, vel suae Sanctitatis tutela et defensione esse possint.

Ex Codice Romano Actorum Consistorialium. — B. Kerčelič. De Regnis Dalm. Croat. et Slav. Notitiae Praeliminares p. 314.

CLXXXVI.

Anno 1525. Dominica proxima ante festum B. Dionysii. Budae.

Credenciales a Ludovico II. Rege Johanni Statilio ad Diaetam Regni Slavoniae misso oratori datae.

Commissio propria Domini Regis.

Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae &c.

Magnifice Fidelis nobis dilecte. Misimus ad istam Diaetam Regni Nostri Slavoniae hunc fidelem Nostrum Venerabilem Joannem Statilium, Prepositum

*) Thomas Niger Spalatensis, amicus celeberrimi Marci Maruli, poetae latini et nationalis, Vicarius generalis Episcopi Vesprimiensis et Bani Croatiae Petri Berislavić, Episcopus Scardonensis (1519) et Traguriensis (1524), Orator Regni Croatiae et Dalmatiae ad Leonem X. Pontificem Romanum et Carolum V. Imperatorem, diligens collector rerum Patriarum, mortuus Spalati a. 1527.